



**R.P. Leonardii Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censbris.  
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

**Lessius, Leonardus  
Lovanii, 1645**

Qvæstio XVI. De Consequentibus vñionem, quantum ad ea, quæ  
conueniunt Christo secundùm esse, & fieri. In duodecim Articulos diuisa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

## Qu. 15. De defectibus Anima à Christo assumptis. Art. 8. 9. 10. 95

*In quo cōfīsatis ratio Timoris.*

rius. Potuisset enim se sine timore, morti offerre. Sed nostrā causā hūc affectū assumere voluit; quia ad nostrā adificationem & satisfactionem pertinebat. Ad Tertium, Non est de ratione timoris, vt sit incerti mali; sicut nec de ratione spei, vt sit incerti boni: vt patet in animabus purgatorij; satis est vt malum apprehendatur tamquam futurum & imminens. Si tamen apprehendatur certò futurum, non nascetur timor efficax, qui molitur cuaſionem, ſed inefficax per modum velletatis, & simplicis fuge; ſeu abhorritio. Quomodo is qui iam est moriturus, desiderat vitam & timet mortem. Est enim contrāctio quēdam ſea fugā appetitus à malo abhorrentis. Hinc etiam nascitur quēdam tristitia: malum enim certò imminens, reputatur quodammodo p̄fens. Vnde hic timor est fundamentum cuiusdam tristitia: non enim est idem quod tristitia. Vnde quod D. Thomas ex Aristotele ait, Apprehensionem mali certò futuri, non inducere timorem; intellige de timore efficaci, qui molitur cuaſionem.

## ARTICVLVS VIII.

### Utrum in Christo fuerit Admiratio?

*Admiratio.*

**R** Espondetur affirmatiū. Et Patet Matthæi 8. v. 10. Audiens IESU fidem Centurionis, miratus est. Quæ verba propriè intelligi possunt. Ratio est; Quia eius cognitioni poterat aliquid offerri, quod eſſet ei magnum & insolens: atqui hoc est obiectum admirationis.

*Vnde nascit.*

Notandum est; *Admirationem* propriè videri eſſe actum intellectus, quo quis iudicat rem aliquā ſuperare ſuam opinionem, vel apprehensionem; vel eſſe inſolitam respectu ſuæ experientiæ. Idem enim videtur eſſe, dicere: admiror hanc rem. Et dicere: haec res eſſet mihi valde inſolens; ſelicet respectu meę experientiæ & scientiæ. Hinc nascitur amor inh rendi rei per cognitionem, vel eti am ulterius perſcrutandi; niſi sit incomprehensibilis: tunc enim nascitur fugā curiosae ſcrutationis. Signum huius eſſt, quia poſſimus admirari ſine villo timore aut fugā appetitus: ergo admiratione non eſſt timor. Sed nec potest alijs actus appetitus assignari, qui necessariō ſit in admirante,

## Q V A E S T I O X V I .

### De conſequentibus vnionem quantum ad ea quæ conueniunt Christo ſecundūm eſſe & fieri.

*In Duodecim Articulos diuina.*

*Communi- catio idio- matum.*

**A** Gitur h c qu ſtione de communicatione Idiomatum, qu  proprietates Dei, tribuuntur homini; & proprietates hominis, tribuuntur Deo. Cuius communicationis tota ratio eſſt, quod vna eademque persona vere & propriè ſit Deus & homo.

pr er amorem contemplationis illius rei; qui tamen Amor non eſſt ipſa admiratio; Nam admiratio peperit amorem Sapientiæ; vt ait Aristot. in Metaphysicis. Deinde; hic amor non eſſt ſemper neceſſarius; vt cum admiramus perfidiam aut malitiam alicuius hominii. Eſt igitur admiratio aetus intellectus. Nec obſtat quod D. Thomas 1. 2. q. 41. art. 4. admirationem faciat ſpeciem timoris; quia admiratio interdum accipitur pro ſuo effeſtu, qui aliquando eſſet quidam timor; nempe fuſa ſcrutandi id, quod eſſet inſcrutabile. Miratus ita queſt Christus fidem Centurionis, quia eſti ipsi admiratio infuſe non eſſet noua, tamen ipſius experienti  insolens & noua erat tanta fides, cum tantam in Iſra l non eſſet expertus. Sicut Astrologus videns Eclipſim, quam anteā numquam expertus erat, miratur; quamvis ratione eam anteā nouerit.

*Quonodo  
Christus  
fir admir-  
tus fidem  
centurio-  
nisi.*

## ARTICVLVS IX.

### Utrum in Christo fuerit Ira?

**R** Espondetur affirmatiū. Marti 3. v. 5. *Circumſpicieſt eos cum ira.* Ratio eſſt; Quia fuit *Ira.* in ipſo appetitus repellend e iniuria, ſibi & Patri illata. Vnde etiam poterat ſanguis & ſpiritus cōcitarī circa cor. Atqui hoc eſſet ira. Vide D. Tho.

## ARTICVLVS X.

### Utrum Christus ſimul fuerit Viatōr & Comprehensor?

**R** Espondetur affirmatiū. Notandum eſſt Chriſtum ab initio conceptionis fuſile Comprehensorum, ſeu vidilie diuinam eſſentiam; vt oſtenſum eſt ſupr  q. 9. a. 2. & q. 10. Quod autem ſi mul fuerit Viatōr; Patet Primō; Quia ſecundūm corpus non erat beatus, nec etiam ſecondūm omnes animas potientias; ſed adhuc tendebat ad beatitudinem, quod eſſet viatorum. Secundō; Quia & corpore & animo erat paſſibilis. Tertiō; Quia ſibi & alijs poterat mereri. Sibi, gloriam corporis, & nominis, exaltationem: alijs, gloriam animi & corporis. Atqui mereri eſſet proprium munus viatoris.

*24*

## ARTICVLVS I. & II.

### Vtrum hac sit vera: Deus eſſt homo?

*E*, Homo eſſet Deus?

**R** Espondetur; utraque eſſt vera. Patet ex omnibus ijs, quibus ſupr  q. 2. a. 2. & alibi, probatum

*2*

96 Qu. 16. De cōsequēntib. unionē secund. esse fieri. A. 2. D. 1. 2. 3. 4.

batum est eundem esse Deum & hominem. Cū enim Christus sit verus Deus, & verus homo; etiam oportet, vt Deus sit verus homo; & homo sit verus Deus.

Ratio prioris est; Quia persona Filij Dei, est suppositum seu hypostasis humanæ naturæ. Ergo persona Filij Dei verè & propriè dicitur homo. (Nam de quolibet supposito naturæ, propriè prædicatur nomen significans illam naturam in concreto; vt homo, de Petro & Paulo.) Ergo Deus verè & propriè dicitur homo. Patet hæc secunda consequentia; Quia nomen Deus, propriè potest supponere pro quāuis personâ diuina.

Ratio posterioris est; Quia homo potest supponere pro quāuis hypostasi naturæ humanæ; ergo pro persona Filij Dei; ergo sicut Filius Dei propriè dicitur Deus; ita hic homo, propriè dicitur Deus.

D V B I V M . I.

*Vtrum Deus, in hac propositione: Deus est homo, sumatur definitè pro personâ Verbi, an indeterminatè pro quāuis personâ diuinâ?*

R<sup>3</sup> Espondeo; Si sp̄ctes vim & propriam significationem, accipitur indeterminatè; Nam esset vera etiam Pater vel Spiritus sanctus esset homo. Si tamen communem vsum spectemus, sic accipitur determinatè pro Verbo: vt docet hic D. Tho, Nam Christiani solē intelligere Verbum, Dices; hæc, Deus non est homo, est falsa. Et tamen vera, si Deus, acciperetur indeterminatè; quia Pater non est homo. Respondeo; Deus, in propositione negatiuâ, accipitur pro omnibus personis; nam significat rem individuam, de qua negatio absolute tollit attributum.

D V B I V M . II.

*Vtrum homo dicatur vniuocè de Deo & de Paulo?*

O<sup>4</sup> Missis sententijs, quæ verbis potius quam re discrepant. Respondeo, dici vniuocè. Ratio est; quia secundum candē rationem Christus dicitur homo, quā Paulus: eiudem enim ratione & specie est natura humana in nobis, & in Christo; vt fides docet. Neque verum est; quod homo significet etiam subsistentiam: quia tantum significat naturam humanam cum aptitudine ad subsistendum, idque indeterminatè sive hæc sive illa subsistentia.

Dices; Homo dicitur de Paulo per se, & formaliter considerato, non item de Deo: Deus enim vt Deus non includit esse hominem: ergo non vniuocè. Respondeo; Inde tantum sequi modum attributionis diuersum esse, & non vniuocum: ipsum tamen attributum est vniuocum, & vniuocè predicator; quia secundum candē rationem predicator, licet illa eadem ratio diuerso modo conueniat: sicut alium dicitur vniuocè de hoc albo, & de Petro.

D V B I V M . III.

*Vtrum hoc locutio sit propria: Deus est homo?*

R<sup>5</sup> Espondeo; Essere propriam: & patet ex ratione allata. Et Confirmatur; Quia si impro-

priè Deus esset homo, potius dicendus esset non homo, quam homo. Et beata Virgo propriè non esset Deipara: quod est contra Concilia & Patres citatos q. 2. a. 2. dub. vñico.

Aduerte tamen, Durandum in 3. dist. 4. q. 2. admittere quidem hanc esse veram & propriam locutionem; non tamen esse tam propriam, quam hæc: *Paulus est homo*. De quo non existimo magnopere contendendum; modo fatcamur nullam esse improprietatem in hac; *Deus est homo*. Nam ad proprietatem orationis sufficit, ut seruatā propriā significatione terminorum, secundum vñitatum loquendi modum, attributum verè conueniat subiecto: quod fit in proposito.

Dices; Deus propriè est humanatus: ergo non dicitur propriè homo: nam eadem natura non potest propriè de eodem dici denominatiuè & substantialiter. Respondeo Negando Consequentiam: dicitur enim *humanatus*, non ab humanitate nudè; sed ab vñione seu assumptione humanitatis, quasi humanitate induitus. Dicitur autem homo immediatè ab humanitate: vnde non est omnino idem abstractum. Addo; Est singulare in hoc mysterio, vt idem possit dici denominatiuè & substantialiter: quia hypostasis diuina alienam naturam sibi substantialiter astrinxit.

D V B I V M . IV.

*Vtrum hac propositio (Deus est homo) sit in materia contingenti, an necessaria?*

B<sup>6</sup> Onauentura, Scotus, Durandus & Gabriel in 3. d. 7. dicunt esse contingentem. D. Tho. autem a. 2. dicit esse in materia necessaria & naturali. Vtrumque verum est. Si enim Deus secundum sua intrinseca consideretur, sic hæc propositio *Deus est homo*, est contingens: Nam Verbu liberè assumpsit humanam naturam, & nullā naturali necessitate in ea subsistit. Item, subiectum non est de ratione attributi, nec contrā; quod tamen ad propositionem necessariam vñ naturalem requiritur.

Si autem Deus consideretur vt subsistit in natura humana, tamquam quiddam compositum ex naturâ humana & persona diuinâ, quod significatur nomine Christi; sic est necessaria, & in materia naturali: Nam est prædicatio speciei de suo individuo.

Prior sensus est magis proprius, si vocis Deus, significationem & naturalem suppositionem spectes. Si autem vsum huius propositionis, si alter sensus est magis vñitatus: cū enim dicimus Deus esse hominem, per Deum, intelligimus Christum, qui compositus est ex natura humana & persona diuina: & sic intelligendus est D. Th.

Hinc etiam patet, An hæc sit propositio per se, an per accidentem. Est enim propositio per se vera; Si Deus accipiatur pro Christo. Si autem Deus, accipiatur secundum se; sic logice quidem loquendo per accidentem est vera. Physice tamen est per se: Nam est vno non accidentaria, sed substantialis, ex le. qua resultat ens per se vnum. Quare non est absolute dicendū, quod homo dicatur accidentaliter de Deo; aut quod Deus accidentaliter sit homo.

ARTI-

ARTICVLVS III.

*Vtrūm Christus pōsīt dīci,  
Homo Dominicus?*

*Dominicus.* R Espondet negatiū : Et probatur ex D. Augustino qui lib. 1. Retract. cap. 19. hunc modum loquendi retractat, quem usurpauerat lib. 83. quæst. quæst. 36. Ratio est ; Quia Christus est Dominus per essentiam : *Dominicus* autem potius significat aliquid pertinens ad Dominum ; ac proinde quid à Domino distinctum : vt corpus dominicum, passio dominica, voluntas dominica &c. Simili modo non recte diceretur *homo Deificatus*, cùm sit *homo Deus*.

Aduerte tamen ; Si homo accipiatur pro natura humana, recte dici iti Christo esse *hominem dominicum, hominem Deificatum*. Sic enim loquuntur Patres ; Sophronius in V I. Synodo act. 11. exp̄s̄e dicit *hominem in Christo Deificatum* ; id est, humanam naturā p̄ficiendō à persona. Athanasius in expositione fidei : *Dominicus*, inquit, *homo, quem ad salutem nostram exhibuit, conditus est ut esset initium viarum Domini*. Et infra : *Via est ipse Dominus homo* : vbi vtroque modo loquendi vititur.

ARTICVLVS IV.

*Vtrūm ea qua conueniunt Filio hominis, pōsīt prādicari de Filio Dei : & contrā?*

*Error Neftorij.* R Espondet affirmatiū : estque fide tenendum contrā Nestorium, qui ea qua conueniebant *Filio hominis*, non volebat tribui *Filio Dei*, nisi metaphorice : & ea qua conueniebant *Filio Dei*, nō volebat tribui *Filio hominis*, quia existimabat esse duas personas distinctas. Vtraque tamen tribuebat Christo ; quia nomen Christi ipsi significabat duas personas ; scilicet *Filiū Dei*, & *Filiū hominis*. Verūm hic error satis refutatus est suprā quæst. 2. art. 2.

Notandum est ; Ex hoc Articulo colligi duas Regulas, quibus tota hæc res explicatur.

*2. Regula.* Prior Regula : *Quidquid dicitur de Filio Dei personaliter vel essentialiter, dicitur etiam de homine, & de Christo* : vt, esse *Filiū Patris æterni*, esse *vngenitum ex Patris substantia*, *Verbum Patris*, *Characterem hypostaseos paternæ*, *principium Spiritus sancti*. Item esse *immensus, immortalis, creatorem, rectorem & sustentatorem omnium*, &c. Hæc regula est fide tenenda. Patet ex locutionibus Scripturæ, D. Iudas in epistola, v. 5. *Iesvs populum de terra Ægypti salvans*. Ioan. 8. v. 58. *Antequam Abramum sieret, ego sum*. Item ex Concilijs, & omnibus ijs quibus suprā qu. 2. art. 1. & alibi ostensum est hunc hominem esse verē & propriè Deum. Ratio est ; Quia in propositione simpliciter & propriè vera ; quidquid dicitur propriè attributo, dicitur etiam de subiecto. Sed hæc propositio est propriè vera : *Itse homo est Filius Dei & Deus* : ergo quidquid dicitur de *Filio Dei*, dicitur de hoc homine.

Dices : Ergo hæc propositio est vera : *Itse homo est immortalis & incorporeus*, ac proinde con-

traria dicentur de eodem, vel etiam contradictionia : nam idem homo est mortalis & corporeus. Respondeo, Tales locutiones sèpè in Patribus & Concilijs reperiuntur : vt Chalcedonensi act. 1. & in VI. Synodo act. 11. Vnde concedo esse propriè veras. Sed aduerte, Illa attributa, non ne-  
*Mortalis*  
gatiū aut priuatiū accipienda esse ; v. g. vt im-  
*& immortali*  
mortalis, sit idem, quod non mortalis ; sed vt si-  
*talis an*  
gnificant positivam proprietatem Dei, à qua ipse  
*contradi-*  
*citoria*  
dicitur immortalis &c. hoc modo, esse corporeū & incorporeū, mortalem & immortalem, non sunt contradictionia ; sed significant diuersas prop̄ties positivias, conuenientes eidem personæ per diuersas naturas : vnde nihil obstat quod videantur esse contraria. Si autem accipiatur ut significant negationes, tunc illæ propositiones sunt falsæ ; quia negatio totum destruit : vnde significaretur Christum nullo modo esse corporeū. Quare D. Thomas a. 8. ad 2. dicit non esse ita loquendum sine expositione vel limitatione : v. g. Christus est immortalis, incorporeus, secundū naturam diuinam. Quamuis hoc non ita scrupulosè à Patribus obseruetur.

Secunda Regula : *Quidquid dicitur de homine essentialiter vel necessariō, & quidquid dicitur de hoc homine, etiam accidentariē, dicitur quoque de Filio Dei & Deo*. Ut, constare anima & carne ; habere intellectum, voluntatem, appetitum sensituum. Item nasci, flere, crescere, subditum esse, esurire, fistire, fatigari, turbari, tristari, admirari, timere, pati, crucifigi, mori, resurgere &c. Est etiam fita de tenenda. Ut patet ex dictis suprā qu. 2. art. 2. Sic Actoriū 20. v. 28. dicitur Deus acquisiuitus Ecclasiā sanguine suo, & prioris ad Cor. 2. v. 8. Dominus gloria dicitur crucifixus. Ratio est ; Quia Deus est propriè homo : ergo quidquid dicitur de homine necessariō, vel etiam de hoc homine quamvis accidentariē, dicitur absolute de Deo.

ARTICVLVS V.

*Vtrūm ea qua conueniunt Filio hominis, pōsīt prādicari de natura diuina : & qua conueniunt Filio Dei, de natura humana?*

R Espondet negatiū : Quia id quod est proprium alicui rci, non potest dici de alio, nisi hoc, illi rci identificetur. Atqui natura diuina non identificatur *Filio hominis*, quia homo est : nec natura humana *Filio Dei*. Ergo qua de *Filio hominis* dicuntur ( vt esse passum, mortuum, sepultum ) non possunt dici de natura diuina. Et qua dicuntur de natura humana ( vt esse puram creaturam, esse assumptam ad vniōnem hypostaticam ) non dicuntur de *Filio Dei*. Vide D. Tho. Dices, D. Augustinus Tract. 47. in Ioan. dicit ; *Verbum est Christus, Anima est Christus, Caro est Christus* : ergo &c. Respōdeo, Est figurata locutio. Nil enim vult aliud dicere, quam Carnem & Animam existere in eodem supposito, sive sint coniuncta sive separata. Simili modo improposita est locutio, cùm *Vita* dicitur esse mortua in Hymno Ecclesiastico. Est enim dumtaxat vera, ratio *unionis* ne identitatis vitæ cum Verbo ; non autē forma *s. Crucis*, littera : vnde non est passim usurpanda.

I i Notandum

98 Quæst. 16. De cōsequētib. vniōnē secund. esse & fieri. Art. 5.

Lutherani  
volunt  
proprieta-  
tes diuinæ  
natura cō-  
municari  
humanitati  
in ab-  
stracto.

Brentius,  
Smideli.  
211.

Kemnitius  
cap. 21.  
22.

Impugnat  
117.

Notandum est; Hæreticos huius temporis, maxime Lutheranos docere proprietates diuinæ naturæ communicari humanitati Christi, etiam in abstracto sumptu; ita ut humanitas Christi vere sit omnipotens, omni-sciens, ubique præsens &c. idem volunt eadem attributa diuinitatis prædicari de homine in concreto, cum reduplicatione humanæ naturæ; ita vt hæc sit vera: Christus, vt homo, est omnipotens, creator, immensus, ubique præsens &c. Sed dupliciter diuini sunt: quidam enim ex illis, inter quos Brentius in Apologia pro confessione Wittemberg, in Tract. de Cœna Domini, & Iacobus Smidelinus in Thesibus impressis, Thesi 20. Tubingensi, volunt in tali communicatione idiomatum cōsistere vniōnem hypostaticā; adeoque ipsam vniōnem nihil aliud esse, quam tamē proprietatem diuinarum communicationem naturæ humanæ factam. Alij verò dicunt vniōnem hypostaticā non consistere in communicatione, sed esse eius veluti causam; & hanc communicationem, veluti quamđ proprietatem, excommunicatione hypostatica sequi. Ita docet Kemnitius lib. De duabus naturis Christi. Vtrum autem vicissim proprietates naturæ humanæ tribuantur diuinitati, non aperte expllicant: videntur tamen negare.

Contra hunc monstrosum errorem, Dico Primo, Hæc communicatio idiomatu, quā proprietates diuinæ naturæ communicantur humanitati, est impossibilis; & aperte contra fidem: ac proinde vno hypostatica non potest in eā consistere.

Probatur Primo, Nam, vel illa communicatio est omnium proprietatum diuinarum, quod ipsi satis insinuant: sed hoc est pro�us impossibile. nam sequeretur humanam naturam Christi, esse æternam, increatam, immensam, purum spiritum &c. haec enim sunt proprietates diuinæ naturæ. Vel est tantum quarundam proprietatum communicatio: & tunc non erit vno substantialis, sed accidentaria. Cum enim quævis proprietas diuina, intrinsecè & essentialiter includat ceteras omnes, fieri nequit, vt vna substantialiter communicetur sine altera; quamvis accidentaliter, scilicet per participationem posset hoc fieri: nam in suis participationibus diuiduntur.

Probatur Secundo, Quando humanitas Christi dicitur, v.g. omnipotens; vel intelligitur omnipotens per modum instrumenti, ex quadā participatione omnipotentia; vel per modum cause principalis, ratione omnipotentia essentialis. Si prior modo intelligatur, incurrit error Nestorij, qui dicebat hanc vniōnem consistere in energia & dignitate, id est, in eo quod humanitas esset instrumentum diuinitatis, & inde appellaretur diuino nomine. Si secundo modo intelligatur, confunduntur naturæ cum Eutychete: nam oportet ut humanitas sit conuersa in naturam omnipotentem; vel vt ipsa omnipotentialiter informet intrinsecè naturam humanam; alioquin erit denominatio extrinseca.

Probatur Tertio, Si vno hypostatica consistet in tali communicatione idiomatum, non magis esset facta ad personam Filii, quam ad personam Patris & Spiritus sancti: nam proprietates seu attributa sunt communia.

Probatur Quartio, Etiamsi omnia attributa essentialia essent communicata humanæ naturæ, non tamen idem esset vna persona Filii Dei & homi-

nis: ergo &c. Antecedens patet, Quia Pater communicauit omnia attributa essentialia Filio, non tamen eadem est persona Patris & Filii. Quare talis communicatio idiomatum nihil iuuat vniōnem hypostaticam. His addit, Concilia & Patres definiuisse vtramque naturam suas proprietates infusa reseruasse; nec alteram alteri suas communicasse. Ita Synodus IV. act. 5. & Synod. VI. act. 4. in epist. Agathonis Papæ. Et act. 17. in decreto fidei, & alibi.

Dico Secundò, Ex vniōne hypostaticā non est consecuta talis idiomatum communicatio, vt per eam Caro Christi dicatur esse ubique.

Notandum est, Quosdam hæreticos, eti dicant vbi quisit, vniōnem hypostaticam non consistere in illa proprietatum seu idiomatum cōmunicatione, tamen velle eam cōsequi ex vniōne hypostatica tamqā eius effectum: idque maximè affirmat de ubiquitate, & eti de omnipotentiā de ceteris nō item. Hanc autem ubiquitatem & omnipotentiam quidam ex illis dicunt statim consecutam; quidam in Resurrectione; quidam in Ascensione.

Sed nostra propositio patet partim ex dictis, Refelluntur, quibus generatim ostensum est talē communicationem esse impossibilem; partim ex his. Primo, Ex omnibus mysterijs humanitatis Christi, qua per hanc ubiquitatem evertuntur. Fides enim nostra docet Christum conceptum in utero Virginis, & non extra; natum in Bethlehem, & non alibi; fugisse in Egyptum, & aliquot annis absuisse à Iudea. Item in morte animam fuisse à corpore separatam, & ad inferos descendisse, non autem corpus: postea corpus anima reunitum, egressum est sepulcro, translatum in cœlum, &c. Atqui haec omnia falsa sunt, si Caro Christi est ubique: Sicut enim diuinitas in his omnibus mota non est, nec loco conclusa, ita nec caro fuisse.

Secundò Probatur, Ex Scripturis; Matthæi, Marci, Lucæ ultimo: Surrexit, non est hic. Ioan. 6. vers. 24. Cum videret turba, quod Iesus non erat ibi. Ioan. 11. vers. 15. Gaudet, inquit Dominus, quod non eram ibi. Act. 2. vers. 27. Non derelictus es anima tuus in inferno.

Ad hæc Respondunt Hæretici, Hæc omnia intelligenda esse de presentia vel absentia carnis visibili: nam secundūm hanc presentiam erat in vno loco, non in alio; mouebatur ex vno loco in alium: tamen iuxta presentiam carnis inuisibilem, erat ubique, sicut diuinitas: ut Ioan. 16. v. 28. Relinquo mundum, intelligendum est, secundūm absentiam carnis visibilem; nam secundūm inuisibilem, manebat in Eucharistia.

Sed hæc Responsio nihil valet. Primo, Quia sequitur, vel quod hæc omnia tantummodo secundūm externam speciem sint facta; quia Caro eius non verè transferebatur de loco in locum, sed ita videbatur exterius: vel certe quod Christi Caro & Anima habuerit duplex esse ab initio, vnu inuisibile, secundūm quod sit ubique, ac proinde immobilis; alteru visibile, secundūm quod sit certo loco circumscripta, possit; de loco in locu moueri. Et quamvis per absolutam Dei potentiam non sit impossibile, vt Christi humanitas habeat esse inuisibile, per quod sit in toto mundo: tam omniō impossibile est, vt sit ubique sicut Deus: id est, sit ita immensa, vt possit replere infinitos mundos; vt Lutherani volunt: talis enim immensitas

Responso  
vbi quisit  
tarum de  
presentia  
inuisibili.

Refelluntur.

Effe ubiq;

est creatu-

ra incom-

municabile

immensitas

Qu. 16. De consequentib. unionē secund. esse & fieri. Art. 5. 6. 7. 99

immensitas nulli creaturæ est communicabilis: imò re ipsâ nulla creatura potest se per totū mundum diffundere; vt colligitur ex Patribus, Ambr. lib. de Spiritu S. cap. 7. Basil. lib. de Spiritu S. ad Amphilioc. cap. 22. Cyrill. lib. 7. de Trinitate. August. lib. 3. contra Maxim. cap. 21. Fulgent. lib. ad Donatum cap. 8. Vbi docent hi Patres Spiritum sanctum esse Deum, ed quod sit ubique. Quod argumentum nullam vim haberet, si esse ubique, foret alicui creaturæ cōmunicatum. Secundo, Quia hæc expositio est contra vim verborum Scripturarum; alioquin enim possemus dicere Christum non esse in Eucharistia, quia non est ibi visibiliter. Neque est simile quod ipsi adferunt ex cap. 16. Ioan. v. 28. Iterum relinquimus mundum &c. quia significat se ita relietur mundum, sicut venerat in mundum, & haec tenus in eo fuerat: at enim, Exiū à Patre, & veni in mundum; iterum relinquimus mundum, & vado ad Patrem; vbi significat se non ita futurum in mundo sicut haec tenus fuerat: quod falsum esset, si fuisset ubique; nam mansisset sicut ante fuerat. Adde, Illū ita reliquise mundū inferiorem, vt reuerā non manserit ibi secundū corpus. Quod autem per nouum mysterium ibidem constitutatur, scilicet quando Sacerdos aliquis consecrat; hoc nihil officit proprietati illorum verborum.

Probatur Tertiò, Quia omnes Patres docent Christi humanitatem non esse ubique: quorū testimonia videre est apud Gregorium à Valentia, & Bellarminum de Christo lib. 3. cap. 9. 10. 11.

12. 13. 14.  
Probatur Quartus, Quia hæc sententia evertit  
mysterium Eucharistie. Si enim Christi humanitas  
vbique est substantialiter præsens; non magis erit  
præsens in Eucharistia, quam in pane & vino me-  
re vulgaris; nec aliter post confectionem, quam  
ante: nec magis incipiet esse intra hominem post  
sumptionem, quam ante.

Probatur Quinto & postremo, Ex vi unionis hypothisticae nullo modo sequitur haec omni-presentia: quod pater a simili; etsi enim oculus sit unius substantia liter toti anima;, non tamē ideo debet esse vbicūque est tota anima; alioquin oculus deberet esse etiā in pede; quia ibi est tota anima. Similiter multo minus sequitur haec ubiquitas ex Resurrectione: nam gloria Animæ vel corporis non euerit naturam, nec eam extra naturalem suam mensuram extendit.

**13** Sed contrà. Obijicitur Primo, Ad Ephesios 4.  
**Obiectio-** v. 9.vbi dicitur de Christo. *Qui adscendit super omnes soluñ-nes Cælos, ut adimpleret omnia: in quæ locum etiam tur.*  
Oecumenius ait. *Quia repleuerat omnia sua diuinis-*

Ecumenus ait, Quia replicauerat omnia sua animitate, ascendit ut omnia etiam repleret suā carnē. Respondeo, Non agitur ibi de repletione corporali, quasi ascenderit ut inde corporaliter per totum uniuersum se diffundaret, alioqui non posset postea descendere. Sensus igitur est; Ascendit, ut impleret omnia, nempe vaticinia quæ de ipso erant, iuxta phrasim Scripturæ. Sic Luc. 24. vers. 44. Necesse est impleri omnia. Ita Hieron. & Chrysoſt. in hunc locum Pauli. Vel, Ut impleret omnia, scificit, Ecclesiam Spiritu sancto & donis cœlestibus: ita Ambroſius epistola 16. & Hilarius in Psalm. 56. quod est valdè conſentaneum verbiſ Apostoli precedentibus. Vel denique ut adimpleret omnia loca operibus admirandis, terram, mare, aërem, cœlum.

Objicitur Secundò, Christus est ubique; sed <sup>Quoniam</sup> ubique est, ibi est homo: ergo ubique habet <sup>Si vero non</sup> humanitatem. Respondeo, Christus est ubique per communicationem idiomati ratione diuinatis; sicut etiam est aeternus; ad quod sufficit personam esse ubique secundum naturam diuinam. Quod autem subsumitur, falsum est, nisi intelligatur de Christo formaliter; id est: ubicumque Christus est, Christus ibi est homo. Ethenim is qui est Christus, sit ubique, tamen non ubique habet rationem Christi; ac proinde non est necesse ut ubique habeat naturam humanam. Similiter falsum est, Christus seu Filius Dei ubique est homo: nam esse hominem, non conuenit ei ubique; sed solius certo loco. Sicut falsum est, Anima ubique est vita oculi.

## ARTICVLVS VI.

*Vtrum bac sit vera: Deus factus  
est homo?*

R Espōdetur; Hæc est vera, Deus factus est homo.  
Imò est fide tenenda: vt patet Ioan. i. & ex  
omnibus Symbolis. Ratio est; Quia Deus anteā  
exitit nō homo, deinde exitit homo, idq; per  
aliquam operationem effectum est: ergo Deus fa-  
ctus est homo. Neque hinc sequitur Deū mutari,  
vel esse mutatum; quia licet Deus sit subiectum  
istius propositionis, non tamen fuit subiectū illius  
mutationis, per quam factus est homo; sed ipsa hu-  
manitas subiectū fuit; vt patet ex dictis q. 2. a. 7.  
Adder. Hanc mutationem humanitatis, quā Deus  
factus est homo, ne per communicationē quidē  
idiomatū Deo tribui posse. Ratio est; Quia hęc  
communicatio supponit vniōnē naturę humanaę  
cum persona diuina; at ista mutatio non supponit  
vniōnem, sed est via ad illam: itaque per illam  
mutationem Deus non potest dici mutatus.

Petes, An propriè Deus dicatur factus homo? *Dens dicitur.*  
Respondeo, Omnino propriè dici; sicut propriè *tur pro-*  
dicitur esse homo. Quia hac oratione nihil aliud *priè factus*  
significatur, quām Deum acquisuisse esse huma-*homo.*  
num, quod antea non habebat, idque per veram  
aliquam affectionem, siue per hanc inducta sit ali-  
qua mutatio in Deo, siue non: hoc enim ex vi  
orationis non determinatur.

Dices, Si Deus factus est homo: ergo factus est  
hic homo; atqui hic homo est suppositum. Res-  
pondeo breuiter. Concedo factus est hic homo, ac  
proinde factus est suppositum naturae humanae, non  
tamen suppositum absolutum; quia ante crat.

**ARTICVLVS VII.**

*Vtrum hac sit vera: Homo fa-  
ctus est Deus?*

**R**espondetur; Hæc propositio, *Homo factus est Deus*, propriè non est vera. Ratio est; Quia ex vi propositionis, subiectū accipitur pro subiecte in natura humana: at quia hoc non est factū Deus; sed semper fuit Deus. Quare hæc; *Christus factus est Deus*, est omnino hæretica. Deinde; Quia participium *Factus*, cadit in attributum; cui nullo modo conuenit fieri.

## 100 Qu. 16. De cōsequentib. unionē secund. esse & fieri. A. 8. 9. 10. 11.

Si tamen hæc propositio non ita propriè accipiatur, vt sensus sit: *Factum est, vt homo sit Deus,* potest admitti. Et hoc sensu, sçpè sic loquuntur Patres; vt Damascenus lib. 3. c. 11. & Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 13. & Nazian. epi. 1. ad Cledonium.

Posset etiā dici, *Hominem* interdum accipi formaliter, non pro supposito, sed pro individuo humano præscidente ab omni actuali subsistentiâ; & ita accipi à Patribus: magis tamen propriè accipi materialiter; scilicet pro subsistente in natura humana.

### ARTICVLVS VIII.

#### *Utrum hac sit vera: Christus est Creatura?*

16 R Espondet D. Thomas, Non esse ita loquendum absque aliquâ determinatione; ne occasio detur errorum.

SS. Patres  
vocant  
Christum  
creaturam.

Notandum tamē est, multis Patres vti hac locutione. D. Leo serm. 3. in Pentecost. Sophronius in epistola quæ habetur in VI. Synodo act. 11. Hieron. in c. 2. ad Ephes. explicás illud: *Ipsius enim factura sumus, creati in operibus bonis: vbi ait, hanc locutionem minimè esse reformatam, Christus est Creatura, idque probat duobus Scripturæ locis.* Omitto alios Patres. Vnde Caietanus putat hanc propositionem *Christus est Creatura*, in rigore & proprietate esse veram: sicut & hanc, *Christus est passus & mortuus.*

Non potest  
tamen dici  
Creatura  
ficiat.

Sed vtendum est distinctione, Si nomen Creatura accipiatur omnino strictè, vt solet à Scholasticis; sic absolute est falsa, Vnde negatur à Magistro in 3. dist. 11. & ibid. à D. Thoma, Durando, Richardo, Paludano, Capreolo. Et ratio est, Quia Creatura communiter dicitur quod ex nihilo productum est: atqui Christus non est productus ex nihilo; cùm eius persona non sit ex nihilo: ergo non est propriè creatura: productio enim Christi, non est productio ex nihilo; sed cōpositio ex persona increata & natura creata. Et confirmatur ex contrario; Quia Christus non potest annihi-  
lari: ergo nec creari.

sed latè.

Si vero nomen creature accipiatur paulò generalius, vt sçpè solet in Scripturis & Patribus; nempe pro omni eo, quod incipit esse, siue absolute, siue secundūm aliquam naturam creatum: sic Christus absolute potest dici creatura. Nam sicut ab humanitate, dicitur homo; sic à natura creata, dicitur creature. Et ita intelligendi sunt Patres. Neque solū Christus, qui includit naturā humānā; sed etiā Filius Dei dici potest factus creature.

### ARTICVLVS IX.

#### *Utrum hac sit vera: Iste homo incepit esse?*

17 R Espondet D. Thomas negatiuè. Quia iste homo seu Christus designat suppositū propriè, quod est ēternū: nam subiecta accipiuntur materialiter. Atqui *Verbum incepit*, includit anteā non extitisse.

Scotus  
affirmat.

Notandum est, Scotum in 3. d. 11. q. 3. docere hanc propositionem *Christus incepit esse, Christus est factus*, scilicet veram in proprietate sermonis. Primo, Quia fieri hominem, est fieri simpliciter; nam est

fieri substantia liter. Deinde, Quia illud attributū cedit super formale subiecti, quod est humanitas. Tertio, Quia hæc, *Christus est*, non fuit vera ab ēterno: ergo Christus incepit esse.

Sed contraria est communior Theologorū in Refellit. 3. d. 11. vel 12. & D. Thomæ hic. Quāvis Durandus velit illam esse distinguendam. Ratio est, Quia illud dicitur simpliciter fieri, vel incipere esse, quod ita accipit esse, vt ante hoc momentum absolute non fuerit; nā, fieri vel incipere, includit hanc negationē, hoc anteā absolute non erat. Itaque cùm Christus anteā absolute fuerit; est enim *Christus ēternus*, ad Hebr. vlt. & Apoc. 1. non recte dicitur quod incipiat esse, vel quod fiat, aut sit factus. Confirmatur, Quia alioquin hæc esset vera: *Filius Dei est factus*, vel incepit esse: quidquid enim dicitur de Christo, vel hoc homine, dicitur etiam de Filio Dei.

Ad Primum Argumentū Scoti, Respondeatur, Diluviat. Etsi esse hominem, sit esse simpliciter, si per se argumentū cōsideretur; tamē respectu Christi, est esse tantū *Scoti.* secundūm quid: nam ipse anteā simpliciter erat. Ad Secundūm, Potius in talibus propositionibus subiectū supponit pro materiali, ita vt formale prædicati cadat in materiale subiecti: vt pater in hac i. *Christus est ēternus.* Posset tamen illa locutio admitti si Christus formaliter accipiatur: verūm hæc acceptio est impropria. Ad Tertium, Hęc est vera: *Christus fuit ab ēterno*, non tamen ideo verū ab ēterno debet esse, *Christus est.* Sicut patet in similī: *Quidam homo fuit ab ēterno*, non tamen ideo verū est primo die creationis mundi, *quidam homo est.* Satis enim est, vt hoc suppositum quod est Christus, sit ab ēterno. Ratio est, Quia cùm dico, *Christus est*; Christus accipitur formaliter pro cōposito: nam verbum, est, secundūm adiacens, facit subiectū accipi formaliter. Cū autem additur, ab ēterno, accipitur materialiter pro supposito: quasi dicatur, is qui est Christus, est ab ēterno.

### ARTICVLVS X.

#### *Utrum hac sit vera: Christus ut homo, est Creatura?*

R Espondetur, Propriè esse veram. Nam reduc- 18 platio propriè reduplicat formam potius, Reduplica- quām suppositum. Vnde lensus est: *Christus se- tio quidem duplicit.* cundūm naturā humanam est creature; nō autem, Christus ut suppositum naturā humanā, est crea- tura: hoc enim falso est. Reduplicatio enim de- signat & specificat id, secundūm quod, & in quo attributum conuenit subiecto.

### ARTICVLVS XI.

#### *Utrum hac sit vera: Christus ut homo est Deus?*

R Espondet D. Thomas cū distinctione. Ad- 19 uerte tamen, hanc propositionem: *Christus secundūm quod homo, est Deus*; esse propriè falsam. Nam homo, in reduplicatione propriè accipitur pro natura, non pro supposito; & significat Christum ratione naturā humanā esse Deum: quod omnino falsum est.

Pro huiusmodi locutionibus seu propositio- Regula- nibus Notanda est hæc Regula: *Ea quā sunt pro- pria Dei, non possunt tribui homini, vel Christo cum reduplica-*

reduplicatio humanitatis. Similiter ea que sunt propria hominis, non possunt dici de Christo, vel Deo, vel de hoc homine, cum reduplicatio diuinitatis. Vnde haec propositiones propriæ sunt falsæ: Christus ut homo, est Deus; est Omnipotens, est Filius Dei. Item: Christus ut Deus, est homo; est mortuus, est crucifixus. Ratio est; Quia talis reduplicatio, ut homo, ut Deus, vel reddit causam, vel designat naturam, per quam, aut in qua conueniat Christo tale attributum: vnde reddit sensum propriæ falsum. In sensu tamen improprio possunt admitti: nempe si reduplicatio solum designet suppositum; vt sensus sit; Christus, qui est homo, est Deus; est Omnipotens. Sed adverte, tunc reduplicacionem esse superfluum, & locutionem impropriam & exoticam.

*Christus ut hic homo.*

Quod autem D. Thomas in Respons. ad 3. ait: hanc propositionem: Christus ut hic homo, est Deus, magis esse veram, quam illam; Christus ut homo, est Deus; sed quod illud hic, designat suppositum; verum quidem est; tamen absolute est etiam impropria locutio; vt docet Durandus, & recte dist. 1. q. 1. Nam illud hic, significat potius individuationem naturæ, quam suppositum. Vnde sensus

fus est propriæ: Christus ab hac humanitate habet quod sit Deus. Quare non est ita loquendum.

### ARTICVLVS XII.

Vtrum hac sit vera: Christus secundum quod homo, est hypostasis?

**R**espondet D. Thomas cum distinctione. Notandum breuiter, hanc: Christus ut homo, est hypostasis vel persona; ambiguam esse. Si enim, ut, accipiatur reduplicatiæ, est falsa: significat enim Christum habere personalitatem à natura humana. Si autem specificatiæ; id est, si solum designet naturam, in qua habet nouam rationem personæ, est vera. Nam sensus est; Christum ut hominem, esse quid subsistens. Magis tamen propria est hæc; Christus ut homo, est persona humana: nam etiæ humana natura non sit ratio cur Christus ut homo est persona absolutè; est tamen ratio cur sit talis persona; nempe humana.

20

## QVÆSTIO XVII.

De pertinentibus ad Vnitatem Christi,  
quantum ad esse.

In Duos Articulos divisæ.

### ARTICVLVS I.

Vtrum Christus sit Vnum,  
an Duo?

**R**espondetur; Christus est Vnus & Vnum. Et quidem quod Christus sit Vnus, est fide tenendum. Patet ex Symbolo Niceno & Athanasij; & ex dictis supra quest. 2. art. 2. Ratio est; Quia, Vnus, quando solitariè ponitur, indicat unitatem personæ; vt patet ex communī modo loquendi. Hinc Pater, Filius, & Spiritus sanctus, etiæ sint Vnum, non tamen Vnus: quia non sunt vna Persona.

Quod autem Christus etiam sit Vnum neutrè, non duo; Probatur, Quia est vnum ens sine imperfectione compositum. Item, est vnum suppositum in duabus naturis subsistens: atque Vnum solitariè sumptum, nihil aliud significat quam vnum ens, & vnum suppositum. Secundò, Quia Christus non est plura: ergo absolute est vnum. Antecedens patet; Quia nec est plures nature, nec plura supposita. Non plures naturæ; nam etiæ diuinitas dicatur de illo; non tamen humanitas. Et ratio est; Quia ut aliquid dicatur simpliciter vnum, satis est ut sit vnum suppositum. Patet ex supra dictis. Dices; Christus est aliud per diuinitatem, aliud per humanitatem: ergo est duo. Antecedens patet ex multis Patribus, qui ita loquuntur. Vide D. Augustinum in Enchiridio cap. 36. & lib. contra Felicianum cap. 11. Respondeo; D. Thomas hic negat Antecedens, Quia,

inquit; Aliud significat diversitatem naturæ & suppositi. Quod verum est, si nomen Aliud sumatur strictè. At si largius sumatur, potest admitti, nec omnino impropriæ. Et sic intellige quod docuit D. Thomas supra quest. 2. art. 3. ad 1. cùm ait; Quod Christus dicatur aliud & aliud, non importat diversitatem suppositi, sed diversitatem naturarum. Et ita sèpè loquuntur Patres. Et simili modo concedi posset Christum esse duo: nam sensus est, subsistere in duabus naturis: magis tamen propriæ haec locutiones negantur. Quod autem D. Thomas ait, diversitatem accidentem facere Alterum, sumptu est ex Porphyrio & Aristotele malè verso; nam pro dñō, id est, diversum seu varium versum est Alterum. Absolutè enim est falsum: non enim lac est alterum per dulcedinem, alterum per asperitatem.

### ARTICVLVS II.

Vtrum in Christo sit tantum  
vnum esse?

**R**espondet D. Thomas, in Christo est tantum vnum esse; nempe completum. Ratio est; quia natura humana non vnitur ei accidentiæ, sed substantialiter & hypostaticè; ac proinde non facit in ipso diversum esse personæ, seu completum: sed solum facit ut adueniat noua habitudo esse personalis præexistentis ad naturam humanam. Cetera vide apud D. Thomam.